


DE FONTE CODICVM MANILIANORVM

Qualis fuisset fons codicum Manilianorum deperditus, primus Iacobus anno 1832 exquirere aggressus omnes nostros ex uno codice uicenos binos uersiculos in unaquaque pagina exhibente pendere perspexit. quem secutus Garrodus anno 1911 ostendebat — nec imperite — in prioribus duobus libris quos uersiculos unaquaque pagina habuisset. at cum ille ab Housmanno male mulcatus esset (codicem enim Iacobo-Garrodianum non quidem archetypum esse nostrorum sed archetypi parentem luculenter hic demonstrauit), tota res in quodam incili haerebat. cum tamen ad historiam criticam Manilianam non parui momenti uideatur haec quaestio, rursus eam nunc tractare constitui, si forte nanus in tantorum uirorum umeris insidens clarius quid dispicere queam. et primum praestantium codicum stemma uideamus.



haec, perpaucis mutatis, ex Housmanno (ed. min. 1932 p. ix, quam editionem in uersibus numerandis ubique sequar). GLM codicum unum fuisse archetypum ex eo patet, quod in sescentis erroribus conspirant (ut V738). M non esse aut ex G aut ex L descriptum testantur loci satis multi (ut I 423), ubi uerae et antiquae lectiones, uel saltem earum uestigia, in solo M reperiuntur. in his non moror, de quibus dubitet nemo.

In primo libro uersuum ordo bene et egregie luxatus est, quos hoc modo exhibet scelus scribarum: — 1-354, 399-442, 355-398, 443-529, 568-611, 530-567, 612-fin. uerum ordinem restituit Scaliger, turbandi rationem explicauit Iacobus, folia quadragenorum quaternorum uersuum sollicitata esse ratus. calidior in hoc Garrodus, qui unum tantum bifolium a ligatore

male collocatum maluit; quod in tabula mox uidere erit. hunc ego codicem, uicenos binos uersiculos in pagina habentem, *A* littera, qua et ante Garrodus, in sequentibus notabo.

Sed in ipso limine subit res spinosa: nam exhibent codices non uersus Manilii tantum, sed et titulos nonnullos (siue capitula malumus appellare), ut Lucretiano quoque carmini accidit. hos titulos accurate collegit Housmannus (lib. V pp. 95—99), quem ἐν ἐπιτομῇ sic repraesentare licebit: —

primo libro fuere (in archetypo dico, ut ex codicum colatione patet) tituli ante 118, 194, 483, 566, 539, 561, 809.

secundo libro registrum quoddam titulorum quattuordecim statim ad initium libri; qui tituli, aliis aucti, suis postea locis apparebant, uidelicet ante 150, 159, 197, 203, 223, 234, 244, 249, 256, 265, 270, 297, 358, 385, 395, 433, 453, 466, 693, 738, 788, 841, 903.

tertio libro ante 43, 154, 160, 176, 203, 247, 301, 385, 443, 483, 510, 537, 560, 581, 618, 669.

quarto libro ante 502, 585, 818, 866.

quinto libro defuere.


Huc igitur cum peruenerimus, duo statim quaerimus: fueritne Antiquissimus codex noster codicum GLM archetypum an parens illius archetypi, et an tituli in *A* exstiterint. et eadem ratione utrumque probatur. nam in *M* uersum 153 libri tertii sequitur non 154, sed titulus quidam et 175, 176. sequuntur 154, 155 seqq., ita tamen ut titulus ille et duo uersus suo loco repetantur. nempe, ut Garrodus edocuit, scribe unam paginam, 154—174 continentem, primo omisit, dein comperto errore ad 154 rediit. uersibus 154—174 si titulum, qui ante 160 steterit, addas, habebis uersus uicenos binos. at errat Garrodus Matritensem arbitratus immediate ex Antiquissimo transcriptum fuisse. nam uestigia eiusdem erroris in *L* et *G* uidentur: quorum prior habet post 153 lacunam duorum uersuum (scilicet quae titulum reciperet, solito librarii more, de quo Housmannus V pp. 95 sq.), deinde duos uersus erasos, *sub quibus lituris*, ut ait ille, *quid lateat facile intellegitur*. in *G* uersus 154 littera maiuscula incipit, ut etiam II 903 uidere est, ubi titulus praecedens omissus est. leue fortasse indicium, sed satis perspicuum. nam hunc errorem fuisse in GLM communi fonte aperte patet: unde intellegere debemus, archetypi librarium ante oculos habuisse codicem uicenorū binorū uersuum in singulis paginis, in quo non deessent tituli.

Iam animaduverterint sagaciores LM habuisse primum quidem 153, titulum, 175, 176, deinde mutato ordine 174, 175, titulum, 176 et seqq. sed quomodo titulus suo loco exciderit, non operae pretium duco exquirere, cum ad quaestionem quam tractamus non pertineat. maior autem difficultas oritur quod Housmannus, uir acutissimus, librum primum titulis caruisse autumat (V p. xix); qui tamen, ut opinor, infirmis nititur argumentis. de titulis enim agitur ante 118, 194, 483 positus, quos totis uiribus amoliri conatur uir doctus. nam a 1 ad 354 sunt uersus CCCLII (nam 38sq. confinxit Bonincontrius); hic autem numerus ex XXII sedecies ductis surgit; uidentur igitur folia 1—8 continuisse uersus CCCLII, titulos nullos. sed non satis accurate haec: nam duo hemistichia (350b 351a) post foliorum luxationem esse addita concedit ipse Housmannus (V p. xix n.); quin et ab initio ad 350 quattuor uersus eicit: quibus sublati, spatii satis relinquitur ad titulos recipiendos. igitur facile crediderim primum librum, sicut in Antiquissimo scriptus fuerit, titulis non caruisse.

Sequuntur tabulae quinque, quae uersuum ordinem ut in Antiquissimo fuerit monstrare conabuntur. praemonitum autem lectorem uelim nullam me coniecturam admisisse, nullam lacunam statuuisse, quam non ab aliis, praesertim ab eximio Housmanno, acceperim (nisi quod Manilio ad V 30 sq. indignas poenas luenti opitulari non recusabo). in notis meis obscuriora explicabuntur: hoc tamen minime praeteriuerim: *scribam* in eis quae sequuntur significare eum, qui A exararit; *correctorem* eum qui in eodem codice nonnulla uel addiderit uel mutauerit; *descriptorem* eum qui A postea descripserit. uersus quibus quasi fundamentis insisto crassiore typo impressi sunt: *t* significat titulum, Q quaternionem.

LIBER PRIMVS

<i>folium</i>	<i>rectum</i>	<i>uersum</i>	
1	*	* (a)	Q 1
2	1— 22 (b)	23— 46 (c)	
3	47— 68	69— 90	
4	91—112	113-t-133	
5	134—155	156—178 (d)	
6	179-t-199	200—221	
7	222—243 (e)	244—265	
8	266—287	288—309	

9	310—331	332—354 (f)	W ¹		Q 2
10 (11)	399—420 (g)	421—442	Y ¹		
11 (10)	355—376	377—398	X ¹		
12	443—464	465—t-485	Z ¹		
13	486—507	508—529	Z ²		
14 (15)	568—589	590—611	X ²		
15 (14)	530—t-550	551—t-567 (h)	Y ²		
16	612—633	634—655	W ²		
17	656—677	678—699		Q 3	
18	700—721	722—743 (i)			
19	744—765 [766] (k)	767—788			
20	789—t-813 (l)	814—835			
21	836—857	858—879			
22	880—901	902—926 (m)			

(a) E quaternionibus codicem constitisse et textum secundo folio inceptum esse hinc liquet: 355—611 in tria bifolia fuere distributi; fuerit haec unus ternio, tum priores uersus nonnisi quaternionione contineri poterant. sed statim in initio libri diuersos ligandi modos esse adhibitos quis credet? et quaterniones ligatoribus monachis maxime arrisisse satis notum est.

(b) Librorum titulos non primis paginarum lineis scriptos fuisse ex tabulis perspicuum est; sed referentem eos ad superiores margines admonuit me R.A.B. Mynors, uir horum studiorum peritissimus, ueri similis eos ad calcem prioris paginae stetisse.

(c) 38 sq., quos confinxit Bonincontrius, non admitto.

(d) 167 omitto, quem ante 215 posuit Housmannus, aduertens cum 168 tum 215 incipere *idcirco*. hic ad rem non paruam uenimus. quippe in Manilii libris tria transpositionum genera occurrunt — foliorum transpositio, uersuum transpositio simplex (uide notam *i*), uersuum transpositio multiplex. priora transpositionum genera qualia sint, in promptu est: de hoc fusius agendum. exemplo sumamus ipsum hunc 167. scriba, cum ordinem hunc repetere deberet... 213, 214, 167, 215, 216..., uersum 167 nescioqua incuria omisit; mox errore comperto, cum paginam nitide exaratam additamentis foedare nollet, nihil melius repperit quam ut in primo folio (quod uacuum fuisse supra diximus) uersum scriberet, praefixa ut uidetur admonitione huiusmodi — ‘repone hunc uersum ante *idcirco* terris non omnibus omnia signa’. aduolat tibi mox cor-

rector, per paginas locum lineatim uenatur, incidit in 168 *idcirco* . . . ; nec mora, infercit uersum aberrantem. nec aliter rem egit scriba noster in libro quinto, duobus uersibus ante 399 ' . . . -*que latentis*' omissis. hic tamen corrector, cum nouo more ultima uersuum rimaretur, cumque a fine libri retrorsum recurreret, simul ac in 533 incidit — hic enim in -*que latentem* desinit — exulem sedibus non suis restituit. di uostram fidem! uereor ne mira et monstrosa uidear loqui, qui insolitam hypothesin fingam: uerum cum Housmannus hos uersus, magno Manilii comodo, idoneis locis restituerit, rem aliquo modo explicandam aestimaui. quin et idem aenigma et apud I 805 sqq., II 232, V 30 sq., 514, 515 agnoscendum est. dic quo pacto res aliter enucleari possit, lector beneuole, et eris mihi magnus Apollo. nam quod ipse Housmannus de uersibus '*alicubi in margine scriptis*' commentus est, nemini probatum iri puto. qui tandem fit ut uersus IV 489a, si in margine scriptus fuisset, non dico male relocatus sed ex libro suo uelut collo obtorto abductus fuerit, et in secundum librum loco prorsus absono iniectus? at contraria quidem transpositione restituit uersum Bentleius, probant editores modo non omnes. sed, ne longus fiam, tales uersus credam, donec melior hypothesis erit proposita, sua quemque adnotatione instructum ut in propriam sedem redigeretur, in primo folio Antiquissimi exaratos fuisse.

Vnde nascitur quaestio subdiosa: nam si scriba pluries hoc modo uersus addendos signauit, profecto aut omnia corrector male interpretatus est, aut hic illic codicis nostri paginae plus XXII uersus habuisse uidebuntur: nam si unus uersus suo loco adderetur, surgeret numerus ad XXIII; si duo, ad XXIV, et cett. uerum semel tantum bisue hoc accidisse puto: et etiam illic habebō quod dicam.

(e) Cum interpolationis nomen ipsi tituli, qui in A fuere, mereantur, ex codice interpolato A noster descriptus esse uideatur. sic, ut exemplum apponam, uersum 235 recepit scriba manifeste nothum.

(f) Exceptis 350b 351a, de quibus supra p. 361.

(g) Hic habes uersuum ordinem ut in libris reperitur: bifolia XY inter se commutauit ligator; quod a Garrodo accepimus.

(h) Multa sunt in hac pagina difficilia, sed cum appareat eam a 551 incipere, in 567 desiisse, non multum moueor. de tota re fusius Housmannus V pp. xx-xxii, qui tamen de titulis in Antiquissimo deficientibus ludificatus est. itaque, ne êv

παρέργω nimis retineamur, perfricta fronte conicio in folio 15u fuisse 551—560, titulum, 561—563, sex uersus deperditos, 566, 567.

(i) 743 ante 740 recte reuocauit Postgatus. sane uersum illum primo indiligenter praeteriit scriba, dein agnito errore in ultima paginae linea, ne periret, posuit. similia menda, quae transpositionis simplicis nomine supra ad (d) significauimus, et alibi in hoc codice restituendo reperiemus.

(k) Inter 765 et 767 unum uersum omisit scriba, dum nimis festinanter paginam sequentem aggreditur. quod non semel accidisse mox ostendam. hoc tamen uno loco aduertit corrector, qui lacunam conficto a se uersu suppleuit. 766 spurium esse Scaliger docuit, locum ultra mutilum Housmannus.

(l) Omissis 805—808 (in primo enim folio, ut supra dixi, exarati erant), quos sedibus suis, h. e. inter 538 et 539, reduxit Housmannus. nempe illud... *uersumque*... (538)/... *lunamque*... (808) fefellit scribam. iussus autem ante capitulum ubi poeta edissereret de magnitudine mundi et signorum uersus aberrantes reponere, sagax ille corrector capitulum uersui 809 praefixum adiit, ubi materia ei idonea uidebatur. confer (d).

(m) Noua mi facies laborum surgit, nam uidetur haec pagina XXV uersus habuisse, sicut supra (d) fieri posse praemonui. sed fortasse scriba, alioquin marginibus sollicitus, hic maluit tres uersus addere quam paginam paene totam uacuum relinquere. nam si librum secundum folio 23u incepisse putemus, eidem nos scopulo mox impingemus quo confixus est Lachmannus ad Lucr. IV 126, unius et eiusdem folii alteram faciem excidisse contendens, alteram remansisse.

LIBER SECVNDVS

<i>folium</i>	<i>rectum</i>	<i>uersum</i>	
23	xiv tituli; 1— 8 (a)	9— 30	Q 3
24	31— 52	53— 74	
25	75— 96	97—119 [120] (b)	Q 4
26	121—143 (c)	144—165	
27	166—187	188—209	
28	210—231 [232] (d)	233—254	
29	255—276	277—298	
30	299—320	321—342	
31	343—364 (e)	365—386	
32	387—408 [409] (f)	410—431	

33	432—453	454—475	Q 5
34	476—497	498—519	
35	520—541	542—563	
36	564—585 [586—8] (g)	589—606 (h)	
37	607—628	629—650 (i)	
38	651—672	673—694	
39	695—716	717—738	
40	739—760	761—782	
41	783—804	805—826	Q 6
42	827—848	849—870	
43	871—892	893—914	
44	915—937a [936] (k)	938—959	
45	960—970	(1—22)	

(a) Licet archetypo fuerint et registrum titulorum ante II 1 et ipsi tituli singillatim intra textum libri, tamen codex noster Antiquissimus in hoc libro uidetur cum titulis caruisse, tum prope ad finem folii 23r esse inceptum. ad hanc opinionem ergo adactus sum, scribam quidem nescioqua libidine correptum XIV titulos ad caput libri collocasse, correctorem uero et hos et alteros (alterum hominem sane prodit diuersitas sermonis) in textum disposuisse, descriptorem denique (h. e. archetypi scribam) neutros dimisisse. itaque Garrodo uetustissimi nostri paginas refingenti in nonnullis hoc libro assentio, nam deesse titulos, ut perperam alibi, ita hic recte aestimauit.

(b) Inficias non iuerim quin hic assurgat seges difficultatum, neque ausim horum trium foliorum rationes usque ad scrupulum expendere. illud tamen satis mihi persuasum habeo, hanc paginam uersu 119 terminatam esse; credi potest uersum 112, quem cuculo cuidam haud absurde tribuit Bentleius, nondum interpolatum fuisse. magis ad rem quod corrector, ut in hoc libro nonnulla, uersum 120 (a Scaligero proscriptum) ad imam paginam extra lineas ductas addidit.

(c) 126, quem exturbauit Bentleius, omisi ex rationibus.

(d) Apparet uersum 232, huic loco plane alienum, in margine inferiore additum fuisse. quem ante IV 490 praeclaro inuentu transposuit Bentleius. rem sic explico: uersum illum (*pars est prima nocens fundentis semper Aquari*, talem enim dederat poeta) forte post IV 489 omissum ad primum folium, cum errorem agnouisset, relegauit scriba, admonitu quodam adiecto ut sub Aquario ubi de partibus damnandis dissereret

auctor reponeretur. adesse mox corrector, uersus aberrantes ex primo folio suae quemque sedi restitutus; libro primo reddenda absoluere; dein hunc uersum aggressus, tamen de proprio libro deceptus, apud secundum librum locum disquirere; tum ad 231 Aquarii nomen conspiciere, de partibus signorum agi supputare. quid multa? infercit uersum. quem manifeste illic claudicantem in promptu est ultra deprauasse postea nescioquem, quo commodius loco non suo congrueret.

(e) 343 sq., ut idem quod 318 sq. et contextui aperte reluctantes, una uoce damnant editores. nempe scriba, folio 30u ad finem perducto, sequentem paginam incohare debuit uerbo 'consensum...' (345); sed, ut iam admonui, nimis somnians dum ad alteram transit paginam, hic oculis ad 318 (*consumet*) aberrauit. nonne uides? non prius peccare se agnoscit quam unum et alterum uersus descripsit. uide et infra ad (i).

(f) Versum 409, quem deleuit Bentleius, sane imo folio intrusit corrector.

(g) Versus 586-8, ut inficetos et adulterinos, eicit Housmannus. haud dubitandum quin eos in inferiore margine addiderit idem corrector.

(h) In hac pagina restituenda quattuor uersus nunc deperditos inclusi, quos post 594, ubi lacunam statuit Iacobus, excidisse puto. damnum profecto descriptori crimini uertendum.

(i) Caue ne spurium illum 631 admittas, uersum a Bonincontrio fabricatum neque in codicibus exstantem. ceterum ad calcem huius folii uersus sic dispositi erant... 648 (*quaeque*...), 651, 649, 650 (*quaeque*...). at scriba noster, infelix sane homo, dum sequentem paginam adoritur, nescioquo fascinat, pro indicio proximi uersus (quem primum in pagina transcribere debebat) 648 arripuit non 650. uidelicet illud *quaeque* bis paucis uersibus repetitum ei ansam errandi dedit. unde factum est ut folium 38r uersu 651 incohauerit, eodem mendo quo et ante repetierat 318 sq. hac tamen occasione homo quidam insulsus (res correctorem omnino redolet), cum 651 bis exaratum esse aduertisset, male alterum erasit. locum expediuit Housmannus.

(k) Totus hic eundem Housmannum sequor, qui locum perturbatum hunc et inquinatum, immo dilaniatum, in formam plurimis mendis repurgatam praestantissime redegisse uidetur. quaestio sane nec leuiter perplexa nec paucis uerbis enodanda: itaque, ne taedium moueamus hic argumenta uiri magni nonnisi

repetentes, lectorem bona fide remittimus ad editionem ab illo 1912 prolatam. nunc sufficit posteriorem tantum uiam corruptionis ostendere. nam in Antiquissimo hunc uersuum ordinem necesse est inuenerit corrector, . . . 934, 935a 937b, 937a 935b (ultimum paginae), 938 et seqq. ille uero, de sententia dubitans, uersum 936 a sese concoctum ad calcem paginae infersit; sed ne sic quidem manum abstulit; quippe qui, cum mox 937a arte cum 938 cohaerere sensisset, hoc hemistichium, adiecto 937b, post 936 transposuit. ita locus euasit talis, qualem exhibent codices.

LIBER TERTIVS

<i>folium</i>	<i>rectum</i>	<i>uersum</i>	
45	(960—970)	1— 22	Q 6
46	23-t- 43	44— 65	
47	66— 87	88—109	
48	110—131	132—153 (a)	
49	154-t-174	175-t-195	Q 7
50	196-t-216 (b)	217—238	
51	239-t-259	260—281	
52	282-t-302	303—325 (c)	
53	326—347	348—369	
54	370-t-390	391—412 (d)	
55	413—433 (e)	434-t-454	
56	455—476	477-t-497 (f)	
57	498-t-519 (g)	520-t-540	Q 8
58	541-t-561	562-t-582	
59	583—604	605-t-625	
60	626—647	648—668t	
61	669—682	(1— 22)	

(a) Iam supra docui hanc paginam codicis nostri in 153 desiisse: quod si uersus praecedentes paginatim numeras nec titulum uersui 43 praepositum ex ratione omittis, librum tertium reperies ad caput nouae paginae initum esse.

(b) Lacunam unius uersus, quam post 216 probabiliter statuit Housmannus, inde uidemus prouenisse, quod scriba, nouam paginam adortus, unum uersum praeterlapsus est. uide I (k.)

(c) Versus 317, quem Bentleius reicit, nullam rationem habeo, ut a correctore profecti.

(d) Paginas, sicut a nobis restitutas, stabilire uidentur uersus 411 sq., post 407 male praetermissi, dein ad imas lineas reposti. mendum sanauit Housmannus. consule I (i).

(e) Versus ille, quem post 417 deesse sensit Iacobus, in A adhuc exstitisse uidetur. quod enim nunc deperierit, descriptor, ut opinor, castigandus est.

(f) Aliquot uersus post 497 excidisse intellexit idem Iacobus. adeatur I (k).

(g) Ab hoc loco usque ad finem libri uersuum ordo ad amussim restitui nequit, licet non multum erraturi simus. 508 a correctore ortum crediderim, sed potest ut in A fuerit.

LIBER QVARTVS

<i>folium</i>	<i>rectum</i>	<i>uersum</i>	
61	(669—682)	1—22	Q 8
62	23—44	45—66	
63	67—88	89—110	
64	111—132	133—154	
65	155—176	177—198	Q 9
66	199—220	221—242	
67	243—264	265—286	
68	287—308	309—330	
69	331—352	353—374	
70	375—396 (a)	397—418	
71	419—440	441—462	
72	463—484	485-t-504 (b)	
73	505—526	527—548	Q 10
74	549—570	571-t-591	
75	592—613	614—635 (c)	
76	636—657 (c)	658—680 (d)	
77	681—702	703—724	
78	725—746	747—768	
79	769—790	791—812	
80	813-t-833	834—855	
81	856-t-876 (e)	877—898	Q 11
82	899—920	921—935	

(a) Versus ille, cui numero 388 assignant editores, post 396 in codicibus legitur (ante 389 enim reuocarat Scaliger): primo omissum esse, dein ad calcem repostum, quis non credet? uide I (i). ceterum ex calculis elucebit uersum primum libri

quarti in folii 61u prima linea exaratum fuisse, h. e. singulos libros noua pagina initos esse: quod dudum monemus.

(b) Hic Housmanno accedo, inter 501a et 501b uersum periisse contententi: culpa hic in descriptore. de lacuna illa post 489, uidesis notam II (d).

(c) Lacunas fuisse duas, alteram post 635, alteram post 657 primus aduertit Scaliger; probat doctissimus quisque. at 635 a 657 mihi deme: restabunt uiginti duo, tot quot continent uersiculos singulae paginae. en aliam columnam, qua fulcitur thesis nostra! stat extra omnem aleam bis idem scelus in se hic admisisse caput illud somniculosum. recurre, ni taedet, ad I (k).

(d) Ex rationibus omisi 679, cum paginationi refragantem, tum Bentleio notatum: res sapit correctorem.

(e) Post 876 uersum deesse coniecit Rossbergius, in hoc ab Housmanno laudatus. causam damni iam nemo, ut opinor, desiderabit.

LIBER QVINTVS

<i>folium</i>	<i>rectum</i>	<i>uersum</i>	
83	1— 22	23— 45 (a)	Q 11
84	46— 67	68— 89	
85	90—111	112—133	
86	134—155	156—177	
87	178—199	200—221	
88	222—243	244—264 (b)	
89	265—285 (c)	286—307	Q 12
90	308—329	330—351	
91	352—373 (d)	374—395	
92	396—417	418—438 (e)	
93	439—460	461—482 (f)	
94	483—504	505—528 (g)	
95	529—552 (h)	553—574	
96	575—596	597—618	
97	619—640	641—662 W ¹	Q 13
98	663—684	685—709 (i) X ¹	
99	xliv uersus deperditi	(Y ¹)	
100	xliv uersus deperditi	(Z ¹)	
101	xliv uersus deperditi	(Z ²)	
102	xliv uersus deperditi	(Y ²)	
103	710—732 (k)	733—745 X ²	
104	*	* W ²	

(a) Includo titulum nunc pessumdatum, quem ante 32 stetisse conicio: quod quorsum spectet mox uidebis. contra recuso 30 sq.: qui, a uera sede uel hodie exulantes, iam tempus maximum est ut restituantur. sunt hi uersus

*ab stellis proprias uires et tempora rerum
constituit magni quondam fabricator Olympi.*

loco depulit Bentleius recte, nothos dixit perperam. nam quid profuit interpolatori uersus sensu carentes confingere? conabantur enim eiusmodi nebulones difficultates tollere, non facere. nec felicius Housmannus, *nam* pro *ab* legens et uersus post III 155 reponens: quis, quaeso, tolerabit battologiam istam *stellae* (155) ... *stellis* ... *uires* (30) ... *uires* (156)? quin et grauius offendiculum inest; nam quid ad illum locum antiqua haec Iouis constitutio, ubi Manilius planetas uix leuiter suspenso poplite transierat? igitur neque Housmanno obtemperandum. sed ubinam ego uersus reponam, inquireret lector. non dissimulabo: in media lacuna repono. quod ne albis dentibus irrideatur, explicare festino. sic enim ratiocinandum est. inter 709 et 710 permulta desiderari admonuit Scaliger, nec quisquam nunc dissentit. in his exposuit poeta quas uires haberent planetae ita ut, ad finem cum peruenisset, hac formula uteretur: —

*has (sic Scal.) stellis proprias uires et tempora rerum
constituit magni quondam fabricator Olympi.*

has quidem rectissime legi statim innotescet, cum IV 292, 408, 498, 696, V 101, 127, 388 contuleris. sed cum hos uersus post 709 immediate sequi coegit, errauit magnus Scaliger, *stellas* pro signis extra zodiacum positis accipiens. quod et ipse agnouit cum tertium ederet. hinc alio paulisper pergamus necesse est. quinto libro fuisse titulos supra negaui. ita uero, dummodo archetypum intellegas; in Antiquissimo nostro non nego. titulorum enim auctor quid moliebatur, si quattuor libris consuluit, postremum neglexit? in A ergo fuerint unus ante 32, alter ante caput planetarium, tertius ante ultimum caput stellarum magnitudines referens (h. e. statim post V 30 sq., antequam omissi sunt). at heu! ut uersus plurimos, ita posteriores duo titulos sustulit foliorum naufragium quoddam commune. uerumtamen quod ille perierit, non Neptuno obiciendum sed correctori, qui, dum V 30 sq. importat, titulum uidentur conculcasse. sed, ut summam faciam, conicio scribam uer-

sus V 30 sq. omissos in folio primo scripsisse, adiecta de more notula, ut ante titulum reponerentur qui esset de stellarum magnitudinibus, qui uicesimo fortasse uersu ante 710 positus erat. sed cum folia aliquot excidissent, bonus ille corrector titulum frustra disquirebat: fessus tandem in uno libri quinti titulo acquieuit, qui ante 32 reperitur. adi I (d) et (l).

(b) Assumo in computum uersum quem ad 263 intercidisce statuit Iacobus.

(c) Assumo item illum quem ad 278 inseruit Housmannus.

(d) In codicibus 362 sq. post 373 positos inuenimus: uerum ordinem, quem legisse Firmicum ex *math.* VIII 14 1 apparet, restituit Scaliger. qui erratum sit, disces ex I (i), IV (a).

(e) Rationem habeo illius uersus quem post 423 Housmannus desiderat.

(f) In 480 sqq. restituendis Housmannum secutus sum: duo illa hemistichia (482a 482b) in ultima paginae linea posita crediderim.

(g) Nec 514 nec 515 admitto, per transpositionem multiplicem huc perperam illatos. illum quidem, cum post 542 omissus (hoc Iacobus) postea esset in primum folium relatus ut post 542 (*'incubuit ...'*) restitueretur, male post 513 (*'hinc ...'*) inseruit corrector. sed et alium uersum a scriba praetermissum, scilicet 515, in primo folio sub 514 reperire erat; et uidetur Margites noster non 514 tantum sed et 515 simul et semel infersisse.

Vnde sit 515 oriundus requiris? tum altius rem inspiciamus. nempe post 542 necesse scriptus fuerit; non tamen post caput planetarium. quod si ita fuisset, uersus aberrantes sic in primo folio ordinati essent... V 530 sq., V 514, V 30 sq., V 515; at ex superiore argumento constat V 515 fuisse qui proxime post 514 a correctore lectus sit. ergo 515, cum inter 542 et 709 reponi nequeat, ad planetas referendus est. quod in uersus ipsius sententiam mirifice quadrat. nam hoc uersu, *non extincta lues, semperque recentia flammis*, collatis I 744-9 et IV 834-7, de Solis curru agi conicio a Phaethonte olim nec sine calamitate moderato. sequentia fuerint qualia *sidera uicinis; flammae*, nempe Solis uagantis. quin etiam stellam Iouis a mathematicis Phaethonta saepe appellatam, quis non nouit?

Explicatio inuoluta et pertriosa, fateor: sed qualem iudicio nostro flagitat ratio et res ipsa.

(h) Versuum 530 sq. nullam rationem habeo: in primo folio Antiquissimi scripti fuerint, sicut ad I (d) ostendi.

(i) Excludo 696—698, uersus ut monet Scaliger suppositicios. desinit hoc folium in 709, ubi ingens lacuna deprehenditur. nam non solum postrema pars synanotolarum, sed et pars prior eius capitis desideratur, ubi de stellarum magnitudinibus disseruerit, et quicquid aliud huc usque promissum fuerat, ut aliqua de planetis, quae, licet a Manilio minoris aestimantur quam a Chaldaeis, tamen fata ex zodiaco prouenientia aliquatenus turbare possunt. uerisimile est igitur uel unum uel plura bifolia excidisse: nam unum tantum folium e ligatura solui minus facile credas. et si unum bifolium statuas excidisse, habebis in hoc libro uersus praeterpropter 833: satis competens is numerus, si libri magnitudinem spectes, sed mirum quantum breuiauerit se Manilius, si omnia quae dixi intra 88 uersuum spatium expediuerit. si igitur duo bifolia desiderari putemus, surget uersuum numerus ad 921, dum priores habent I 926, II 970, III 682 (totus hic in numeris et mathesi), IV 935: simulque spatiosiore campum poetae dederimus, ubi satis late discursare potuerit. si tria bifolia, erunt uersus 1009, quod nullus fero. et Housmanni suspicio de totis libris desideratis leuissima mihi uidetur. igitur duo bifolia hic amissa esse statuendum, quae in medio quaternione posita excidisse par est, antequam ligator omnia consueret.

(k) Subodorans hic correctorem, ex calculis omisi 728, quem recte expulit Scaliger.

Habes, sedule lector, quid de codice Manilii deperdito, nostrorum omnium parente, colligi posse aestimauerim. displicuerint fortasse nonnulla in proluxa disputatione: sed non leuiter aut tanquam aliud agens hunc laborem sum aggressus. certe ultra modum multoties insaniunt scribae, ut nonnunquam ex duobus ueri non similibus iudicandum fuerit utrum ueri similis; sed altiora uestigia semper indagare quaesiui, et si quid erraui, bona fide, ut aiunt, et absque dolo malo erratum est. permulta subtiliora inuitus praetermisi, ne in immensum cresceret opus. omissa uel non recte supputata uel supplebunt uel corrigent peritiores.¹⁾

Hulli

G. P. G o o l d

1) Hoc opusculum mihi latine excudenti ultro subuenit sodalis meus, J. A. Willis Londiniensis.